

Johann Christian Petersen


**Jo. Christiani Petersen, Juris Utriusque Doctoris & Professoris P. O. hodie
Universitatis Varniacæ Pro-Rectoris, Programma Funebre ac Consolatorium,
Cum Inexpectato fato ... Dn. Andreas Ahrend, Gedano-Borussus, Philosophiæ Ac
Theologiæ Studiosus solertissimus ac iaudatissimus ... Anno MDCCXXX. die 21.
Novemb. ...**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1730]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1747241377>

Druck Freier  Zugang







Bibl.
Schol. Cathedr.
Jur. Tron.


1836.

Mk-7775^a
~~Mk-7774~~





Fasciculus
Actorum Jubilæi,
ab
Exhibita in Comitibus Imperij
Augustana Confessione,
in
Academia Rostochiensi
celebrati,
Secundi.
a. 1730.



JO. CHRISTIANI PETERSEN,
Juris Utriusque Doctoris & Professoris P. O.

hodie
UNIVERSITATIS VARNIACÆ
PRO-RECTORIS,

PROGRAMMA FUNEBRE AC
CONSOLATORIUM,

Cum

Inexpectato fato, ac adversus opinata vota
Eorum, qui Studia ac præclaram

Indolem vere ac sincere doctiorum ac piorum, suo pretio æstimare noverunt,

VIR JUVENIS PRÆ-NOBILIS, ERUDITISSIMUS
ET EGREGIUS,

DN. ANDREAS
AHREND,

GEDANO-BORUSSUS,

PHILOSOPHIÆ AC THEOLOGIÆ STUDIOSUS

solertissimus ac laudatissimus,

Postquam IV. Nonar Octobr., in AUDITORIO MAXIMO, publice
disputaverat, & albo Omnium calculo exceptus, victorioso

e palastra discesserat Disputatoria,

pauciorum dierum decursu vero,

IN IPSO JOBELÆO LUTHERANORUM MAXIMO,

Anno MDCCXXX. die 21. Novemb. fide vera, in Vulneribus JESU obdormiens,
ad Coelites & gloriam Beatorum,

qua Animam justificatam, elevatus ac translatus,

Corpus vero Ejusdem exanime, Monumento Borussorum Nationali
frequenti comitatu cohonestatum, inter planctus & dolores, celebriter inferebatur,

Ad Parentum & Consanguineorum acerbissime dolentium, justam refocillationem,

officiose scriptum & in Illustrem Patriam

AC AD SPLENDIDISSIMAM FAMILIAM,

cum Voto omnigenæ prosperitatis,
solatii ac recreationis, humanissime transmissum.

ROSTOCHII,

Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINCIPIS & ACAD. Typographi.

147.



Itius, quod DEUS novit! ante diem, Mensis elapsi Septembris, IV tum, stellas novum producturas fore orbem, aquam pullulaturam ignes, & in lolia vertendas esse genuinas fruges, metuissimè, quam quod mihi, in compendio ferme *Νύκτιμύεων*, contingere posset Sparta ENCOMIASTIS, qui justis & tam bene meritis donis ac exercitiis verba daret læta; & tam subito itidem ORATORIS *Exequalis*, quem turbide adeo deceret, fatorum asperam ac irrevocabilem deplorare feriem. Fuerat *Vir Juvenis, Præclarissimus, Dominus ANDREAS AHRNDIUS, Gedano-Borussus, Philosophiæ ac S. S. Theologiæ Studiosus industrius, strenuus & vere egregius*, in deliciis ubivis positus, ubi ubi locorum degeret, & quemadmodum adamantes & redamatissimi *Ejusdem PARENTES*, in Educatione sollicitissima non intermitterant quicquam eorum, quod ad formandam probam indolem & excitanda naturalia dona, facere posset; Qui & præcipue ac magis curarunt, ut in Revelata Veritate & Religione Christiana proficeret; Ita ad messem properare videbantur omnia &, unusquisque, tam bene collatorum & collocatorum officiorum mercedem largissimam augurabatur; Quem enim *GEDANUM Illustrè*, eruditione auctum ad Varniacas, cum voto uberrimo, dimiserat Musas; Quem *UNIVERSITAS Rostochiensis* nunc studiis insignioribus valde onostum, ad *ACADEMIAM Marpurgensem* migrantem, præcipiebat, in *PATRIAM* olim rediturum & colophone, suo ex meritis potiturum; proindeque quem laudabilem & amplexandum judicarunt æquanimis arbitri, ut nec livor locum habuerit ullibi, de Eo etiam non poterat quidquam concipi justius ac ipsis bonorum suffragiis magis conforme, quam ut in vineam Jesu Christi vocatus, multos foret facturus fructus & Coelo multos lucraturus animas; spem ita de semet tam floride conceptam, non modo in- & completurus, sed & multum superaturus.

Hæc & nostra sagacius antecepta opinata, imo fervida vota, ardor plusquam pressus & ferreus, tenaciter firmaverat; Non enim vidimus *EUNDEM* in Collegiis nostris, nisi fideliter auscultantem, dum Examinibus occupabamur, prompte respondentem, dum exercitiis Disputatoribus vacabamus, prudentissime dirimentem. Adhæc ad Phosphorum productæ noctes insomnes, ample satis lætabant aviditatem ac satietatem nostram, quam, ut plures, si non omnes, eodem & æque laudato modo, nobis reddant atque copiosius tribuant, non est una nobis eaque excitatio cupido; De moribus & acceptatissimo consortio, quod intercessit ipsi cum conterraneis & alienigenis, cum corrivalibus studiorum ac exfortibus, cum commilitonibus ac Præceptoribus, non habemus, nisi laudatissima quæque, quorum mentio facienda est honestissima, & quorum grata omnino memoria Superstes erit pluribus ad seram senectam. Tam & studiosus, morigerus & obsequens fuit Legum, ut noluerit sine publico eruditionis ac Studiorum Documento & Specimine, abs Academia nostra recedere, & cum hujus commendandi negotii causa, Dn. D. WEIDNERUM, Sacrosanctæ Theologiæ D. & P. P. O. Facultatis Theol. Seniore, & hodie Decanum Reverendique Ministerii Directorem, Fautorem ac Collegam meum conjunctissimum, qui nunc obitum ipsius fat immaturum, tristissimus mecum dolet, adiret; facile consensit in Thema, quod adversus Pontificios, cum quibus non una via conflictatur *Illustri* BORUSSIA, & pro *Versione BIBLIORUM Germanica* MEGALANDRI eo magis

magis defendendum est, quo & dirius *Fanatici*, in vestigia Lutheri, atrocius spuerent, & sanctos Herois Illius labores contaminare non verentur aut detrectant; Quem & in Palæstra disputatrice ac Cathedra Theologica, se stiterit Respondentem & causæ suæ masculum & irreprehensibilem Defensorem, id testabuntur omnes ac singuli, qui adfuere ac in Illustre Panegyri albos ubique calculos sincerissime adjecerunt. Non enim theseos tantum certus ac tenax erat, sed & oppositiones disquisitissimas tam scite, tam prompte discriminabatur, ut laudes & consensum simulatorum non modo, sed & vere oppositorum adversariorum, sortiretur sibi que feliciter indipisceretur, ut præsidis ope ac adjumento raro demum fuerit opus.

Hæc cum delectatione non exigua ac vere singulari, viderat audieratque tota nostra Academia & Arndium multa ex parte incomparabilem, velut Aquilam selectam, suis longe meritis laudibus persequeretur & forte benignissima dignissimum habere, ac bonis avibus dimittere satagebat; Sed proh! ecce! insperatum febrile frigus adegit jam publice Disputaturum, *dilectissimum nostrum Respondentem & Amicum multis nominibus æstimatum*, ut debilitatus viribus, non potuerit ad Disputationem solenniter invitare Professores ac Auditores Ipse, quod quidem negotii Dn. Bidellis comitendum curavit; Quam etiam mentis animique gloriosa incitatione, Actum Disputatorium ornaverit Ipse, tam tamen corporis invalidum languorem sensit ac consummato disputatorio Actu, decumbere cœpit, nec longe post, per DN. HASSEN domesticum Weidnerianum ad se vocatum, communicari voluit placita sua, ut ad *Præcellentissimum ac Præ-Clarissimum DN. DRAGHEIMIUM, Philosophiæ Magistrum fulgidissimum, Fautorem ac Amicum suum, Quem amore persequitur acceptatissimo Dn. D. WEIDNERUS, Gedanum scriberet ea, quæ tam insperato contigerant, ac simul indicaret, quo periculo forte iter Marpurgense, si & reconvaleret, foret suscipiendum? Confestim autem & demum post tres, quod memini dies, Ipsum Dn. D. WEIDNERUM ad valetudinarium suum venire voluit Museum, Qui quidem ibi non lethalem statim advertit morbum, sed tamen ad *avaia Dn. D. Weidneri* ægrotantis metuere habuit; Hinc & Eundem ardentem monuit, ut ad sustinenda quæcunque quin & B. Mortem se præpararet, & simulac comperit, *Summe Reverendum, Religiosissimum & Excellentissimum Dominum HERMANNUM CHRISTOPHORUM ENGELKENIUM, S. S. Theologiæ Doctorem ac Professore P. O. Celebrerrimum, ac ad Divum JOHANNIS Pastorem longe meritissimum, Affinem ac Collegum suum Conjunctissimum ac Adamatissimum, esse Confessionarium, cujus Spirituali curæ animam suam concrediderit, non potuit non promovere, ut & ille citius advocatus, officio Suo Sanctissimo, Ægroto nostro pie ac solatiæ adfisteret, quod & optimo successu, quæ DEI fuit Gratiæ! absolutum intentioni respondit nostræ, & gaudio nos lætavit consummatissimo; Cum etenim neque Ordinarius adscitus Medicus, DN. JO. CHRISTIANUS BURGMANNUS, Medicinæ Doctor ac Practicus famigeratissimus, neque, quem ingravescente morbo expetivimus, Vir Præ-Nobilissimus, Experientissimus & Excellentissimus, DN. MARTINUS CHRISTOPHORUS BURCHARDI, Medicinæ D. ac Professor Ordinarius Publicus, Civitatisque Archiater Celeberrimus, morti ferociter ingruenti, mederi valerent, post acceptam Sanctam Synaxin, vera fide animatus & vulneribus Jesu se fideliter includens ac concredens, Die XXI. Octobris, Hora XI inter preces & suspiria Conterraneorum Suorum & præter hos pie adstantium ac operantium, *Dilectissimus noster ARNDIUS placide expirans, Animam suam coelo, corpus examine cineri & Parentibus, Consanguineis, Amicis, nobisque omnibus tenerrimum sui desiderium reliquit.***

Ut


Ut & Familia honoratissima habeat brevem conspectum morbi simul ac mortis, medicum, hinc testimonium *Experientissimi ac Præ-Nobilissimi DN. D. BURGMANNI*, qui omni sua sollicitudine, in salutem Clinici Sui, adlaborare & vigilare non intermisit, ultro hic addere non detrectamus: Est vero id ipsum sequens:


Febrem, quæ optimum & liberalis indolis Juvenem pessundedit, ex malignarum numero fuisse, gravissima, quæ eam comitabantur, symptomata satis comprobant. Præterquam enim, quod deliria & præcordiorum anxietates ægrotum per vices affligerent, tanta statim aderat virium prostratio, ut non nisi dubium de exitu morbi prognosticum formare liceret. Quibus cum intra paucos dies se adjungeret extrema corporis extenuatio cum lingua arida & fusca pulsusque tremulo & inconstanti, facile apparuit, Partes nobiliores ab hoste interne-cino jam obsessas, & parum aut nihil spei superesse. Opponebam equidem statim periculoso huic morbo, quæ Pharmacia suppeditat remedia congrua, nec exclusis iisdem, quæ e fonte desumuntur, diaetetico; quæ etiam à B. Def., quantum Medicamentorum auersatio primis quinque diebus permittebat, assumebantur; nihil tamen morbus a vigore suo recedebat, sed virum prostratio una cum reliquis Symptomatibus majora potius capiebat incrementa. Fracta equidem continua medicamentorum assumptione videbatur vis morbi decimo atque undecimo morbi die; cum mens per intervallo ad officium suum rediret, anxietatesque præcordiorum quodammodo remitterent. Ast breves hæc existebant induciæ, Perseuerabat enim non solum virium defectus, sed & una cum mentis alienatione nova capiebat augmenta. In pejus itaque cum omnia ruere viderentur, proprio consilio atque instinctu B. Def. in consilium adhibebatur Vir Excell. atque Experient. Dn. BURCHARDVS Med. Doct. ejusd. Professor famigeratissimus, Fautor meus plurimum colendus, qui pariter non intermittebat saluberrimis consiliis, remediisque appropriatis B. Def. subuenire, sed omnia incassum fuisse adhibita, sequens dies 21. Octob. sacis superque declarabat, cum post plenariam aliquot horarum aëro Dnorum, accedente motu pectoris convulsivo, animam effaret Vir Juvenis longiori vita dignissimus.


Ipsa æquitas & suum cuique tribuens alma Justitia, exantlatis reliquis, id exigit, ut PARENTIBUS Honoratissimis & FILIUM tantorum studiorum & tam probæ ac incomparabilis indolis, omni jure dolentibus, nostros & significemus, concordēs instinctus & non vulgares dolores; Amisimus namque Virum longiori vita dignissimum; Sed vel hoc solum amissionis vocabulum revocet ad tranquillitatem & exactam pacem animos animasque nostras: Num amisimus Laudatissimum nostrum ARNDIUM? Conscientia & Religio nostra fidesque pura, testantur contrarium. Non amisimus, quem in Coelo redinveniemus & gaudiis perfectissimis mactatum credimus ac scimus! Non amisimus ILLUM, ad QVEM, DEO jubente, Suoque tempore, in non dimensas ætities, congregabimur, ut coram Throno JESU CHRISTI cum EODEM æternam gloriemur! Siste ergo querelas, gemitus planctusque feræles! Committamus nos Providentiæ Divinæ, quæ & solatia tribuere novit, quorum non meminimus! & loco luctus immensis recreationibus nostris invigilat. Fiat id PARENTIBUS mœstissimis, CONSANGUINEIS luctui nunc adscriptis & CONDOLENTIBUS iis, qui virtutem ac talentum insigne Beatissimi Nostri ARNDII, jure suo, sunt venerati.

P. P. SUB SIGILLO RECTORALI ACADEMICO,
Ipso funerationis die XX. Novembr. Anno Jobelæo MDCCXXX.

✻ (9) ✻







Ut & Familia honoratissima habeat brevem conspectum morbi simul ac mortis, medicum, hinc testimonium *Experientissimi ac Præ-Nobilissimi DN. D. BURGMANNI*, qui omni sua sollicitudine, in salutem Clinici Sui, ad laborare & vigilare non intermisit, ultro hic addere non detrectamus: Est vero id ipsum sequens:

Febrem, quæ optimum & liberalis indolis Juvenem pessundedit, ex malignarum numero fuisse, gravissima, quæ eam comitabantur, symptomata satis comprobant. Præterquam enim, quod deliria & præcordiorum anxietates ægrotum per vices affligerent, tanta statim aderat virium prostratio, ut non nisi dubium de exitu morbi prognosticum formare liceret. Quibus cum intra paucos dies se adjungeret extrema corporis extenuatio cum lingua arida & fusca pulsusque tremulo & inconstanti, facile apparuit, Partes nobiliores ab hoste internecino jam obsessas, & parum aut nihil spei superesse. Opponebam equidem statim periculoso huic morbo, quæ Pharmacia suppeditat remedia congrua, nec exclusis iisdem, quæ e fonte desumuntur, diaeterico; quæ etiam à B. Def., quantum Medicamentorum auersatio primis quinque diebus permittebat, assumebantur; nihil tamen morbus a vigore suo recedebat, sed virum prostratio una cum reliquis Symptomatibus majora potius capiebat incrementa. Fracta equidem continua medicamentorum assumptione videbatur vis morbi decimo atque undecimo morbi die; cum mens per intervallo ad officium suum rediret, anxietatesque præcordiorum quodammodo remitterent. Ast breves hæc existebant induciæ. Perseverabat enim non solum virium defectus, sed & una cum mentis alienatione nova capiebat augmenta. In pejus itaque cum omnia ruere viderentur, proprio consilio atque instinctu B. Def. in consilium adhibebatur Vir Excell. atque Experient. DN. BVRCHARDVS Med. Doct. ejusd. Professor famigeratissimus, Fautor meus plurimum colendus, qui pariter non intermittebat saluberrimis consiliis, remediisque appropriatis B. Def. subuenire, sed omnia incallum fuisse adhibita, sequens dies 21. Octob. sacis superque declarabat, cum post plenariam aliquot horarum avertionem, accedente motu pectoris convulsivo, animam effaret Vir Juvenis longiori vita dignissimus.

Ipsa æquitas & suum cuique tribuens alma Justitia, exantlatis reliquis, id exigit, ut PARENTIBUS Honoratissimis & FILIUM tantorum studiorum & tam probæ ac incomparabilis indolis, omni jure dolentibus, nostros & significemus, concordēs instinctus & non vulgares dolores; Amisimus namque Virum longiori vita dignissimum; Sed vel hoc solum amissionis vocabulum revocet ad tranquillitatem & exactam pacem animos animasque nostras: Num amisimus Laudatissimum nostrum ARNDIUM? Conscientia & Religio nostra fidesque pura, testantur contrarium. Non amisimus, quem in Coelo redinveniemus & gaudiis perfectissimis mactatum credimus ac scimus! Non amisimus ILLUM, ad QVEM, DEO jubente, Suoque tempore, in non dimensas ætities, congregabimur, ut coram Throno JESU CHRISTI cum EODEM æternum gloriemur! Sistite ergo querelas, gemitus planctusque ferales! Committamus nos Providentiæ Divinæ, quæ & solatia tribuere novit, quorum non meminimus! & loco luctus immensis recreationibus nostris invigilat. Fiat id PARENTIBUS mœstissimis, CONSANGUINEIS luctui nunc adscriptis & CONDOLENTIBUS iis, qui virtutem ac talentum insigne Beatissimi Nostri ARNDII, jure suo, sunt venerati.

P. P. SUB SIGILLO RECTORALI ACADEMICO,
Ipso funerationis die XX. Novembr. Anno Jobelæo MDCCXXX.

✻ (o) ✻

